

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXIII - N. 1

1991

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

IUNIO 1991

Semestrale

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Chirographus Summi Pontificis quoad curam spiritualem in Civitate Vaticana	3
--	---

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui internationali studii ab « Unione Giuristi Cattolici Italiani » celebrato interfuerunt, coram admissos	5
Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	8

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Epistula Praesidi Pontificii Consilii de Legum Textibus Interpretandis circa competentiam eiusdem Consilii quoad interpretationem authenticam Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium legumque communium omnibus Ecclesiis Orientalibus Catholicis (N. 278.287/G.N.)	14
--	----

CONGREGATIO PRO CLERICIS

Decretum <i>Mos iugiter</i> quoad celebrationem Missarum, quae « collectivae » dicuntur	16
---	----

PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum <i>Mater Christi et Ecclesiae</i>	20
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii « De Normis generalibus deque Personis physicis et iuridicis » (Sessio XIII)	22
II. Schema Canonum Libri Primi: Normae generales, Romae 1974	72
III. Coetus studii « De Normis generalibus deque Personis physicis et iuridicis » (Sessio XIV)	108

DOCUMENTA

Opera a Consilii Bibliotheca recepta	128
Notitiae	130

III

COETUS STUDII
« DE NORMIS GENERALIBUS
DEQUE PERSONIS PHYSICIS ET IURIDICIS »

Sessio XIV

(diebus 12-16 ian. 1976 habita)

(DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS)

Diebus 12-16 ianuarii 1976, in Aula huius Pontificiae Commissionis, habita est decima quarta Sessio Coetuum Consultorum, qui « De normis generalibus deque personis physicis et iuridicis » nuncupantur.

Conventibus praefuit Exc.mus Rosalius Castillo Lara, Commissionis Secretarius; Rev.mus D.nus Guillelmus Onclin, Commissionis Secretarius Adjunctis, munere Relatoris functus est.

In conventibus partem habuerunt Rev.mi quattuor et Ill.mi duo Consultores.


Rev.mus D. Marianus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta rededit.

Aliquis conventibus interfuit etiam Em.mus Commissionis Praeses, Card. Pericles Felici.

Materia in hac Sessione tractanda erat: de revisione cann. 1-7 hodierni Codicis Iuris Canonici et ultima recognitio canonum schematis « De normis generalibus ».

RELATIO SESSIONIS XIV

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit, in primis, sicut in Litteris convocationis dictum est, revisendos esse cann. 1-7 hodierni Codicis. Sunt canones generales vim Codicis recogniti definientes. Consultores insuper rogantur ut interea schema canonum « De normis generalibus » perlegere velint, ita ut observationes, ultimis Sessionis diebus, praesentare vel facere possint.



Canon 1 CIC

Licet in Codice iuris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse attamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt.

Rev.mus Secretarius Ad. notat nos loqui non debere de Ecclesia vel de Ecclesiis Orientalibus, ideoque melius esse in textu earum mentionem expungere. Sed tamen quoad substantiam canon servari debet. Et Rev.mus Relator quaerit utrum incisum « nisi de iis agatur » sit servandum. Cardinali Praesidi bonum non videtur canonem, qui et primus est totius Codicis, initium sumere verbo « licet ». Ei placet ut simpliciter et clare dicatur Codicem vim habere tantum pro Ecclesia Latina.

Rev.mus primus Consultor quaerit utrum can. 1 retineri adhuc possit, attenta lege Ecclesiae fundamentali; et insuper notat multa in Codice adesse quae in eadem linea valent quoque pro Ecclesiis Orientalibus.

Nulla necessitas adest — animadvertisit Rev.mus secundus Consultor — ut dicatur « quae ex ipsa rei natura obligant », quia per se res patet.

Exc.mus Secretarius praefert ut formula positiva dicatur Codicem pro Ecclesia latina tantum valere, habito respectu ad Legem Ecclesiae Fundamentallem. Melius est etiam pro Orientalibus ipsos in Codice latino non nominari.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum: « Leges canonicae quae in hoc Codice continentur unam Ecclesiam latinam obligant »; et quaerit an adiungenda sint verba: « obligant fideles latini ritus etiam apud Orientales », valorem personalem legis sublineandi causa.

Tamen aliis Consultoribus non placent ultima verba, quia, ex. gr., fideles latini ritus apud Orientales non tenentur pro diebus festis ad praescripta latina.

Et textus probatur prout superius notatum est, ablata particula « in » post « quae ».

Rev.mus tertius Consultor quaestionem de Codicis titulo ponit: utrum videlicet inscribi debeat *Codex Iuris Canonici Ecclesiae latinae* et hoc praecise ut iam in titulo clare appareat eum solam Ecclesiam latinam respicere.

Cardinalis Praeses respondet ex traditione melius esse ut simpliciter dicitur « Codex Iuris Canonici ». Caeterum quaestio haec pro nunc non consideratur.

Canon 2 CIC

Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandis praecipiunt in celebratione sa-

crosancti Missae Sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

Rev.mus Secretarius Ad. censet canonem quoad substantiam retinendum esse.

Rev.mus secundus Consultor notat Codicem praevalere legibus liturgicis qua talibus.

Animadvertisit Card. Praeses: ex consultatione ad schema canonum « De Sacramentis » peracta, eruitur Codicem continere debere leges disciplinares quae in libris liturgicis non referantur. Insuper iam aliquid novi in nostris schematibus habetur quoad librorum liturgicorum probationem et iam multa ex legislatione liturgica mutata sunt.

Em.mus Praeses notat insuper libros liturgicos revisos fuisse ad normam Codicis, cum Codex promulgatus fuit a. 1917. Nunc autem versatice.

Exc.mus Secretarius: Codex continere debet de se disciplinares leges et non liturgicas, nisi et quatenus sunt disciplinares vel disciplinam respiciunt. Sed leges liturgicae — observat Rev.mus Secretarius Ad. — sunt disciplinares.

Ius liturgicum — dicit Rev.mus primus Consultor — est integrum et externum: externum aspectum disciplinarem respicit et regitur can. 6, 6°. Can. 2 loquitur tantum de ritibus et caeremoniis.

Card. Praeses: multa in Codice nostro dicuntur quae partem disciplinarem liturgiae respiciunt.

Rev.mus quartus Consultor tenet materiam liturgicam a Codice non esse excludendam utpote materiam vitae et disciplinae Ecclesiae. Hoc in canone nulla excludi debet materia, etsi evidenter non est possibile totam materiam liturgicam moderari.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco « corrigatur » dicatur « ordinetur ».

Ill.mus quintus Consultor animadvertisit hic agi tantum de obligatione affirmando quae ex libris liturgicis provenit.

Exc.mus Secretarius tenet tempore Codicis (1917) necessarium fuisse, plus quam hodie, dicere de hac materia. Nemo cogitare potest Codicem libros liturgicos inefficaces reddere. Eodem tempore nulla materia excludenda est a Codice, sed sufficit ut praevalentia Codicis prae legibus liturgicis affirmetur: ceterum leges Codicis valent per ea quae continent.

Rev.mus quartus Consultor instat ut canon de hac materia ubi de cultu

deque sacramentis tractatur inseratur. Bonum illi videtur non esse ut iam in secundo Codicis canone aliqua excludatur materia.

Respondet Em.mus Praeses non tantum in « De sacramentis » sermonem esse in Codice de liturgia, sed etiam multis aliis in locis.

Rev.mus secundus Consultor adnotat traditionale esse distinguere inter ius liturgicum strictum — quod est in Codice — et latum, quod est in liturgicis libris.

Ill.mus quintus Consultor necessitatem non videt ut mentio fiat hoc in loco de liturgia. Lex liturgica valorem sumit ex promulgantibus auctoritate.

Em.mus Praeses animadvertis Ecclesiam liturgia vivere et, speciali natura iuris liturgici considerata, canonem requiri, quia praecise non solummodo de caeremoniis sed etiam de disciplina agitur.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet ritus et caeremonias esse disciplinam, etsi ritualem; tamen obiectum diversum est.

Exc.mus Secretarius insistit Codicem plerumque ad regulam leges de rebus liturgicis non ferre, sed in casu quod ferat necessario praevalere.

Iuxta sententiam Rev.mi Secretarii Ad., conceptus exprimendus hic est: quod attinet ad ritus et caeremonias, serventur praescripta Codicis et Librorum liturgicorum probatorum; si contradictio habetur, Codex praevalet.

Debet exprimi relatio inter materias et praevalentiam Codicis (primus Consultor) et loco « ab Ecclesia latina probati » dicatur simpliciter « ad normam iuris probati » (tertius Consultor) quia in hac materia hodie multa Episcoporum Conferentiae decernere possunt.

Exc.mus Secretarius proponit ut plus minusve dicatur: Codex plerumque non decernit de liturgiae ordinatione, et ad ritus ordinandos serventur libri liturgici, nisi aliqua in Codice norma decernatur quae contraria sit. Determinanda est enim vis Codicis et priores canones exclusivi esse debent; et insuper forma positiva exprimi debet ius obligans librorum liturgicorum.

Rev.mus quartus Consultor notat liturgiae conceptum hodie magis patere quam veteris Codicis tempore et sufficere ut dicatur « in iis quae in Codice non regulantur serventur praescripta quae in libris liturgicis continentur ».

De libris liturgicis — notat Ill.mus quintus Consultor — tamquam fontibus iuris et de eorum vi iuridica, rectius agitur in normis generalibus, quam in canonibus Codicis praeliminariibus.

Rev.mus secundus Consultor notat alias leges generales Codicis pro legum liturgicarum interpretatione inservire.

Exc.mus Secretarius tenet Codicem loqui non debere de librorum liturgicorum iuridicorum. Quaestio tantum est si normae Codicis derogari possint a libris liturgicis.

Agitur tamen — observat Rev.mus secundus Consultor — de praecedentia naturae et non temporis tantum.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textum: « In ritibus et caeremoniis, in celebratione eucharistica, in sacramentis et sacramentalibus peragendis serventur normae quae in probatis liturgicis libris praescribuntur, nisi quaedam canonibus Iuris Codicis ordinentur ».

Rev.mo secundo Consultori textus placet quia librorum liturgicorum obligationem sancit.

Rev.mus tertius Consultor quaerit quaenam intercedat relatio inter hunc canonem et can. 22 de normis generalibus, et si nova lex liturgica quaeat dispositiones ferre contra Codicem.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. in can. 22 de novis legibus promulgandis, post Codicem editum, tractari, dum e contra hic de legibus quae ante Codicem exstant.

Intervenit etiam Rev.mus primus Consultor, qui declarat novam legem, etsi liturgicam, posse Codici derogare.

Exc.mus Secretarius animadvertis obligationem in materia liturgica provenire etiam ex Episcoporum Conferentiis et non tantum ex libris liturgicis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. hic agi tantummodo de iure generali et non particulari et insuper id, quod interest, esse ut affirmetur libros liturgicos probatos fontem iuris esse; tamen Codex praevaleret.

Post sat longam disceptationem, Rev.mus Secretarius Ad. duplum proponit canonis textum:

1) Codex plerumque non definit ritus et caeremonias quae in celebratione eucharistica, in celebratione sacramentorum, in administratione sacramentalium aliisve actionibus liturgicis peragendis sunt servanda; de iis vim habent normae quae in probatis liturgicis libris praescribuntur, nisi earum quaedam canonibus huius Codicis ordinentur.

2) In celebratione eucharistica, sacramentorum celebratione aliisve actionibus liturgicis peragendis serventur ritus et caeremoniae quae in probatis liturgicis libris praescribuntur, nisi tamen canonibus huius Codicis ordinentur.

Rev.mo Secretario Ad. placet ut canonis initium sicut in Codice retineatur, quia ius Codicis affirmatur.

Rev.mus secundus Consultor vellet ut verbum « canonibus » tolleretur.

Exc.mus Secretarius et Rev.mus primus Consultor preferunt ut Eucharistiae et Sacramentorum mentio uniatur ita ut dicatur « in celebratione Eucharistiae aliorumque sacramentorum ».

Rev.mus Secretarius Ad. suggerit ut expressio sumatur e secunda formula et dicatur « in iisdem ritibus et caeremoniis serventur quae in probatis ... ».

Rev.mus tertius Consultor praefert ut dicatur « in celebrationibus liturgicis », loco « Eucharistiae aliorumque Sacramentorum ».

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. sibi videri servandum e contra esse, cum Eucharistia centrum totius liturgiae sit et vetus Codex illa verba habeat.

Tandem aliquando, post ulteriorem disceptationem, quae plus minusve argumenta supra relata repetit, omnes Consultores concordant sequenti canonis formula, a Rev.mo Secretario Ad. proposita, quae ita sonat: « Codex plerumque non definit ritus et caeremonias quae in actionibus liturgicis peragendis sunt servanda; quare omnes normae liturgicae hucusque in Ecclesia latina vigentes vim suam servant, nisi quatenus earum aliqua Codicis canonibus sit contraria ».

Rev.mus tertius Consultor proponit ut verbum « omnes » post « quare » omittatur, cui tamen contradicunt Rev.mus primus Consultor et alii, ideoque prout iacet textus remanet.

Canon 3 CIC

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; eae idcirco perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet canonem fere ad verbum recipi posse in nova Codificatione. Quaerit tamen utrum dicendum non sit Codicem non derogare legibus quae secundum conventiones sunt introductae. Conventiones, enim, leges nationales non deveniunt nisi post et per approbationem ex parte publici consilii (Parlamento), scilicet nisi in ordine iuridico interno inserantur.

Iuxta Rev.mi primi Consultoris sententian modus dicendi Codicis optimus est. Etiam in Ecclesia conventio aliqua cum variis Nationibus ab Apostolica Sede inita non obligat fideles qui tantum tenentur Ecclesiae legibus. Et Ecclesia conventionum in legem transformare debet, quod est implicite in canone dictum.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut post « initas » adiungatur « vel probatas », cum possibile sit conicere conventiones inter Statum et Episcoporum Conferentiam.

Respondent Rev.mi primus Consultor et Secretarius Ad. ea tantum

quae ius spectant universale Codice consideranda esse. Conventio habetur tantum pro iure internationali et solummodo inter personas quae personalitate internationali gaudent.

Exc.mus Secretarius animadvertisit Codicem praeteritum respicere: pro futuro non ad Codicem, sed ad Supremam Auctoritatem rem spectare.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « nullatenus abrogant aut iis aliquid (vel) derogant » loco « obrogant », cum usus verborum « abrogare » et « obrogare » in Codice constans non sit.

Rev.mus tertius Consultor, cum canon bis eandem rem exprimat, praeoptat ut textus unificetur et dicatur: « conventiones initiae ab Apostolica... ac in praesens vigere ... ».

Rev.mus Secretarius Ad. modum dicendi Codicis praefert.

Exc.mus Secretarius proponit ut dicatur tantum « derogant » loco « abrogant ... obrogant », omissis « eae id circo ... obstantibus », quia consequentia est naturalis conventiones cum variis Nationibus ab Apostolica Sede initas vigere pergere.

Tamen Rev.mo Secretario Ad. videtur locutionem « ac in praesens », quae in Codice utitur, aliquid addere.

Rev.mus primus Consultor tenet in IIa canonis parte quamdam specificationem necessariam contineri, ex eo quod Codex novas praebet normas et necessario activitas Ecclesiae unilateralis mutare non potest ea quae per conventiones sunt pacta.

Rev.mus Secretarius Ad. aliquas canonis mutationes proponit: dicatur « minime » loco « nullatenus »; « non derogant » vel « non possunt derogare » loco « abrogant ... obrogant ».

Rev.mus quartus Consultor praeoptat ut dicatur « non derogat » loco « non possunt derogare », quia locutio « non derogat » voluntatem et pacatum significat et exprimit; alia est quaestio de posse vel non posse.

Concordat etiam Ill.mus quintus Consultor qui tenet locutionem Codicis servandam esse, utpote norma quae numquam difficultatem interpretationis praebuit.

Rev.mus primus Consultor instat ut in textu inseratur sive verbum « abrogare » sive « derogare » sicut supra explicatum fuit.

Exc.mo Secretarius praeplacet ut verbum tantum « derogare » utatur, sed tamen non insistit.

Alii Consultores cum sententia a Rev.mo primo Consultore prolata conveniunt.

Rev.mus tertius Consultor aliam movet quaestionem, utrum, videlicet, in canone praevideri debeant conventiones initiae ab Apostolica Sede cum

variis Nationibus tantum vel etiam cum aliis entibus quae, iure internationali, personalitate iuridica internationali gaudent.

Rev.mus Secretarius Ad. concordat cum sententia Rev.mi tertii Consultoris et proponit ut adiungatur, post « Nationibus », « aliisve Societatibus politicis ».

Rev.mus secundus Consultor quaerit utrum conveniat ut addantur etiam verba « iuris internationalis ».

Exc.mus Secretarius repetit canonem tantum conventiones iam initas respicere. Canones praeliminares pacta praeterita regulare intendunt: pro futuro adest norma in can. 22 contenta.

Rev.mus quartus Consultor instat ut in textu praevideatur casus etiam conventionum inter Gubernia civilia et Episcoporum Conferentias, quia etsi non formaliter tamen materialiter conventiones sunt.

Tandem aliquando post longam disceptationem, omnes convenient ut canon remaneat prouti est, salvis sequentibus modificationibus: post « Nationibus » adiungatur « aliisve societatibus politicis » et loco « aut iis aliquid obrogant » dicatur « aut iis derogant »; et, demum, loco « nullatenus » dicatur simpliciter « non », quia verbum « nequaquam » a Rev.mo Secretario Ad. propositum aliis non placet.

Canon, igitur, emendatus sic sonat: « Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus aliisve societatibus politicis conventiones non abrogant nec iis derogant; eaedem perinde ac in praesens vigere pertinent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus ».

Canon 4 CIC

Iura aliis quae sita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Exc.mus Secretarius retinet in canonibus praeliminaribus mentionem de iuribus quae sitis itemque de indultis et privilegiis superfluam esse, ideoque canon 4 ex integro omitti potest.

Ad iura quae sita quod attinet applicare sufficit can. 10. Considerandum denique est non omnem legem quae retro agit esse contra iura quae sita.

Iuxta Rev.mi Secretarii Ad. sententiam, sufficit ut Codex dicat se vim in praeterito non habere ut omnia iura quae sita salva remaneant.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit legislatorem pactum praeteri-

tum aliter posse ordinare, sed ius quaesitum abrogari nequire per legem posteriorem neque clausula adhibita « mentione specialissima ».

Ill.mus sextus Consultor vellet ut verba « in usu adhuc sunt nec revocata » supprimantur. Sunt tamen contrarii Rev.mi primus Consultor et Secretarius Ad.

Exurgit inde quaestio, disputata inter Rev.mum Secretarium Ad. et alios, circa limites iuris quaesiti et ea quae ad facultatem vel statutum legale, a lege dependentia, pertinent. Ius quaesitum intrat per actum particularem in personae patrimonio, et a lege submoveri nequit, dum lex potest facultates et statuta legalia mutare. Ad canonem quod attinet, post disceptationem, omnes concordant ut textus servetur, dempto « indulta » et supposito loco « moralibus » verbo « iuridicis ».

Rev.mus primus Consultor rationem quaerit curnam tantum de privilegiis ab Apostolica Sede concessis sermo instituatur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. tantum ea ius universale respicere.

Canonis textus itaque est: « Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canibus expresse revocentur ».

Canon 5 CIC

Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse *reprobentur*, tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorables, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorables, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum et personarum adjunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.

Rev.mus Secretarius Ad. quaerit utrum distinctio inter tres consuetudinum species, quae in canone habetur, sit servanda. Sunt enim: *a)* consuetudines quae expresse reprobantur; *b)* quae non reprobantur et centenariae vel immemorables sunt; *c)* aliae quae non sunt neque centenariae neque immemorables.

Rev.mus primus Consultor praeoptat ut textus remaneat prouti iacet, etiam quia est unicus locus in Codice ubi clare explicatur quid sit abrogatio.

Exc.mus Secretarius praeferreret textum formula magis concisa redactum, in quo dicatur: 1) consuetudines contra Codicem suppressae ha-

beantur; 2) non reprobatae centenariae et immemorables et in quibus Ordinarius existimet ... toleranda sunt ob rationes quibus norma innititur.

Ill.mus quintus Consultor mavellet ut loco « centum anni » requirantur tantum quadraginta anni ad habendam consuetudinem vim legis habentem, quia hodie, attenta possibilitate probationis documentis, difficilis est recursus ad tempus immemorabile. Adsunt tamen aliae possibilitates iuris particularis formationis, respondent Exc.mus Secretarius et Rev.mus quartus Consultor. Rev.mus Secretarius Ad. dicit se contrarium esse propositioni Ill.mi quinti Consultoris, quia, secus, omnes consuetudines, iuxta Codicem anni 1917 constitutae, post novum Codicem servari poterunt.

Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit textus canonis, duabus in paragraphis distributum.

In prima paragrapho dicitur consuetudines contra Codicem reprobatas esse; alias suppressas nisi: *a*) Codice expresse aliud caveatur, *b*) centenarias vel immemorables et iudicio Ordinarii ...; in paragrapho altera ponatur norma de consuetudinibus praeter ius Codicis, cum nihil de iis habeatur in Codice I.C.

En textus a Rev.mo Relatore propositus:

« § 1. Vigentes in praesens contra eorum praescripta canonum consuetudines sive universales sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis reprobantur, tanquam iuris corruptelae prorsus suppressae habeantur, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae sunt, nisi expresse Codice aliud caveatur aut centenariae sint vel immemorables, quae quidem, si de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis submoveri non possunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius huius Codicis legitime introductae, sive universales sive particulares, quatenus sunt in usu, servantur ».

Rev.mus tertius Consultor proponit ut iudicium de consuetudinis rationalitate Episcoporum Conferentis relinquatur.

Alii Consultores sunt tamen contrarii ne Episcoporum competentia nimis limitetur et quia melius est Episcopum iudicare de re in concreto.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur « de iudicio aut Episcoporum Conferentiae aut Ordinarii ».

Respondet Exc.mus Secretarius rem non convenire, quia Ordinario ius certum subtraheretur et Conferentiae Episcoporum nimis graverentur. Quod potest, Ordinarius faciat ipse per se et res melius se habebunt.

Rev.mus secundus Consultor dicit se in propositione non insistere.

Textus ab omnibus probatur sequentibus modificationibus inductis: § 1: loco « non possunt » dicatur « nequeunt »; § 2: loco « huius Codicis legitime introductae » dicatur modo magis congruo « hucusque vigentes », quia non agitur de legitima consuetudinis introductione, sed potius de consuetudinibus vigentibus vel exsistentibus (primus Consultor); supprimatur incisum « quatenus sunt in usu ».

Canon 6 CIC

Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque:

- 1) Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur;
- 2) Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi;
- 3) Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;
- 4) In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum;
- 5) Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur;
- 6) Si quo ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc vigeunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amississe dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

Rev.mus Secretarius Ad. tenet de hoc canone retinendam esse introductionem necnon n. 1; de nn. 2, 3, 4, cum agatur de regulis pro interpretatione, melius est ut canon per se ipse fiat.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit, si Lex Ecclesiae Fundamentalis promulgetur, aliam futuram esse situationem, quia Codex anni 1917 nullam habuit legem sibi superiorem.

Ad n. 5 quod attinet, Exc.mus Secretarius proponit ut omittatur, sed tamen — animadvertisit Rev.mus primus Consultor — clare dicendum est leges poenales anteriores abrogari, nisi expresse confirmentur.

Contradicit Rev.mus Secretarius Ad., qui tenet n. 5 omitti non posse

propter relationem quam habet cum aliis canonis numeribus, uti ex. gr. cum n. 6.

Rev.mus primus Consultor quaestionem movet et quaerit quid erit de legibus vel normis praeter Codicem et variis sub titulis post Concilium latis, uti, ex. gr. directoriis, instructionibus, etc. ...

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. eas suppressas censer, si Codici sunt contrariae.

Exc.mus Secretarius notat argumentum valde momentosum esse ad certitudinem iuridicam habendam, quare forsan cogitandum est de aliqua norma transitoria facienda, quae omnem materiam regulet. Omnes illae normae enim revisenda et Codici aptandae sunt; nam, non omnes supprimi neque omnes in Codice contineri poterunt.

Oportet ut eadem ratio, qua in n. 3 huius canonis, adhibeatur, animadvertisit Rev.mus secundus Consultor.

Exc.mus Secretarius proponit ut duo canones redigantur, quorum prior, in prima paragrapho, relationem inter veterem et novum Codicem regulet et omnem legislationem Codici contrariam abroget; in secunda vero paragrapho, de legibus praeter Codicem tractet; posterior regulas de interpretationibus edicat.

Ill.mus sextus Consultor praeoptat ut in Codice nihil dicatur de vigore vel minus legum antecedentium: res, enim, ad commentatores pertinet.

Rev.mus primus Consultor quaestionem fingit: multa praescripta ad-sunt, ex. gr., in Decreto de Episcoporum munibibus quae novo Codici non sunt contraria. Agitur de praescriptis quorum materia in Codice tractata est, sed evidenter cum non omnia in Codice recepta sint, adhuc in vigore essent post novi Codicis promulgationem.

Explicat Rev.mus Secretarius Ad. ea, si agitur non de praescriptis in novo Codice receptis, habenda esse praeter Codicem et ideo normam, quae illa regulet, requiri. Tamen, si Codex totam materiam reordinavit, lex vetus suppressa habenda est.

Affirmat Exc.mus Secretarius totam legislationem generalem Ecclesiae in Codice contineri, salvis exceptionibus in canonibus descriptis; ideoque reliqua abrogata censer, debere.

Rev.mus quartus Consultor praefert ut pars introductorya can. 6 omit-tatur, quia res aliter se habent quam tempore Codicis 1917 promulgationis. Tamen, clare indicetur Codicem anni 1917 per novi Codicis promulgationem ex toto abrogari.

Post ulteriorem disceptationem Rev.mus Secretarius Ad. sequentem

formulationem canonis proponit: « Salvis praescriptis canonum Legis Ecclesiae Fundamentalis, hoc Codice vim obtinente, abrogatae sunt:

- 1) omnes leges quae in Codice Iuris Canonici anno 1917 promulgato continentur;
- 2) leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur;
- 3) leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipiantur;
- 4) ceterae quoque leges disciplinare quae materias respiciunt quae hoc Codice ex integro ordinantur ».

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit normas rerum quas ex integro novus Codex non tractat valere pergere, quatenus non sunt Codici contrariae, uti ex. gr. de Indulgentiis, de quibus sermo in Codice non erit.

Ill.mus sextus Consultor timet ne vacuum in legislatione creetur si per novum Codicem omnis legislatio anterior abrogetur. Et quaerit ut expressio « ex integro », n. 4, tollatur ne difficultates stabiendi quod ex integro est vel ex parte oriantur (Placet).

Dubium insuper Ill.mus Vir manifestat utrum congruum sit Codicem sese referre ad principium constitutionale quod mutare potest. Nullus adest Codex civilis qui ad Constitutionem sese referat.

Exc.mus Secretarius, Rev.mi Secretarius Ad. et secundus Consultor respondent Legem Ecclesiae Fundamentalē non ad instar Status Constitutionis esse. Hic affirmatur tantum principium superioritatis Legis Ecclesiae Fundamentalis p̄ae omnibus aliis Ecclesiae legibus. Ceterum utitur etiam « salvo iure divino » expressio.

Rev.mi secundus, quartus et primus Consultores postulant ut in n. 2 et n. 4 loco « leges » dicatur « normae », ita ut etiam quae stricte formaliter leges non sunt comprehendantur.

Quod placet aliis.

Exc.mus Secretarius proponit ut in n. 2 adverbium « quaelibet » tollatur.

Contradicunt tamen Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor securitatis iuridicae causa, ita ut provisio valeat pro omnibus normis, quavis forma datis.

Tamen postea in disceptatione haec duo immutationes probantur: nn. 2 et 4 — loco « leges » dicatur « normae », loco « quaelibet » (n. 2) dicatur « aliae quoque ».

Facta disceptatione, omnes conveniunt ut textus igitur sic sonet:
« Salvis praescriptis canonum Legis Ecclesiae Fundamentalis, hoc Codice vim obtinente abrogatae sunt:

- 1) omnes leges quae in Codice Iuris Canonici anno 1917 promulgato continentur;
- 2) aliae quoque normae, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur;
- 3) leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipientur;
- 4) ceterae quoque normae disciplinares quae materias respiciunt quae hoc Codice ordinantur ».

Canon 7 CIC

Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire soleat.

Rev.mus Secretarius Ad. animadvertisit hunc canonem aliam respicere Codicis partem, ideoque nunc non consideratur. Potest haberi ubi de potestate Ecclesiae suprema sermo erit; tamen certum est ad canones praeliminares eundem non pertinere. Eodem modo non est nunc sublevanda quae stio an elenchus sit faciendus Organorum quae sub nomine Apostolicae vel Sanctae Sedis veniunt.

Ideoque omnes conveniunt ut pro nunc non consideretur.

Loco can. 7 CIC Rev.mus Secretarius Ad. sequentem proponit canonem, qui aliquas dat de interpretatione regulas, quae prius in can. 6, nn. 2, 3, 4 inveniebantur:

Canon 7

§ 1. Canones huius Codicis quatenus ius vetus referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores huius iuris veteris interpretatione, sunt aestimandi.

§ 2. In dubio ut aliquod canonum huius Codicis praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verba « atque ideo ex receptis » (§ 1) tollantur.

Rev.mus quartus Consultor dubitat ne locutio « in dubio » (§ 2) sit ser-

vanda quia ipsi videtur insistendum non esse ut in dubio interpretatio iuxta vetus ius fiat, quia post Concilium Vaticanum II multa principia mutata sunt. Hodie, insuper, aliqua confusio in Ecclesiae legislatione adest, ideoque insistendum est pro vi novae legis neque valeri privilegium dandum est.

Etiam Exc.mo Secretario parum placet praesumptionis favorem, quoad interpretationem, pro vetere iure statui.

Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor tenent, e contra, principium in § 2 prolatum affirmandum esse, secus fundamentum iuridicum pro interpretatione decesset. Res magni momenti in ordine canonico evadit pro generali principio continuationis iuridicae. Ceterum, primo considerandus est textus novi iuris et tantummodo si dubium adhuc remanet, ad vetus ius recurritur.

Exc.mus Secretarius proponit ut totus canon supprimatur, quia: 1) textus nimis fastidiosus (« antipatico ») et diffidens est atque in vetere Codice impressus; 2) continuatio iuridica, re ipsa servatur; 3) praeter modum interpretationem ligat.

Ill.mus sextus Consultor tenet can. 7 supprimi posse; non est enim liganda ad veteres auctores interpretatio, quae quidem uti debet auctoribus modernis; neque vetus fere ad verbum in novum Codicem transferendus est, quia diversa est situatio.

Etiam Rev.mus secundus et Ill.mus quintus Consultores concordant cum Exc.mo Secretario et Ill.mo sexto Consultore iisdem ex rationibus.

Rev.mus primus Consultor instat ut principium, propter continuationem iuridicam, servetur; in dubio a vetere iure non est recedendum. Difficultates enim applicationis novi Codicis magnae erunt, et canonistae debent semper etiam historice adlaborare. In canonibus insuper praeliminariibus de relatione novum inter et vetus ius tractari debet ideoque canon supprimi nequit. Post verbum « auctoritate » (§ 1) adiungantur verba: « in traditione Ecclesiae fundata ».

Respondet Exc.mus Secretarius continuationem iuridicam non unice ab isto canone provenire, sed ex universa legislatione.

Recursus ad probatos auctores potest quondam sterilitatem speculativam gignere et evolutionem iuridicam coercere.

Ill.mus sextus et Rev.mus quartus Consultores adnotant certe ius canonicum comprehendi et declarari nequire absque historico contextu et quaestionem tam gravem nequire regulari una paragrapho tantum, ideoque melius esset si aliqui canones principia generalia interpretationis continentis componerentur. Consideranda insuper est tota Ecclesiae historia et non so-

lum illa saeculi XVI vel XVII. Sic de auctoribus. Concilium Vaticanum II, ex. gr., iam in historia est et prae oculis habendum est.

Tandem aliquando, post disceptationem, Rev.mus secundus Consultor proponit ut § 2 canoni 6 adiungatur in qua de ratione integrae traditionis Ecclesiae necnon perpetuae evolutionis vitae habenda sermo erit. Concordat Ill.mus quintus Consultor.

Rev.mus primus Consultor instat ne aliqua ad ius vetus referentia in textu deficiat, variis causis: 1) hodierna iuris Ecclesiae situatione; 2) causa scientifica; 3) comparatione quae novi Codicis certo fiet cum vetere. Cum codificatione legum anni 1917 evolutio systematis canonistici initium habuit, ita per revisionem, quam nunc peragimus, nova datur eiusdem systematis evolutio.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit rem tanti momenti esse ita ut novo canone contineri nequeat. Res in Constitutione Apostolica Codicis promulgationis exponi debet.

Rev.mus Secretarius Ad., audita omnium Consultorum sententia, sequentem formulam proponit uti § 2 can. 6 ponendam:

« Canones tamen huius Codicis, quatenus praesertim ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam habita traditionis in Ecclesia vigentis ».

Post alias perplexitates Rev.morum quarti, tertii et Ill.mi sexti Consultorum, dempto adverbio « praesertim » (Secretarius) et mutatis verbis in fine positis, omnes convenienter ut loco propositi can. 7, paragraphus 2 canoni 6 adiungatur, cuius textus inde est:

« Canones tamen huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam habita canonicae traditionis ».

* * *

Rev.mus Secretarius Ad. de ordine systematico Libri I quaestionem ponit, de loco nempe ubi ponendus est titulus de temporis suppuratione. Iuxta ea quae Coetus, suo tempore, probavit, positus est in fine Libri, dum in Codice 1917 post titulos de legibus, et de consuetudine ponitur.

Omnium sententia exquisita, convenienter ut in fine Libri I remaneat quia revera extra ordinem est et secus rerum dispositio, quae suam habet logicam, perturbaretur.

Ad ordinem systematicum quod attinet, Exc.mus Secretarius quaerit quanam ex causa sit. V de potestatis regiminis exercitio hoc in loco ponitur, quia iam in actibus administrativis singularibus sermo de regiminis potestate est.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. etiam pro consuetudine potesta-

tem ad eam firmandam requiri, sed hic agi tantummodo de potestatis exercitio et non de eius natura.

Rev.mus primus Consultor proponit ut ante tit. VI canones de personis physicis et iuridicis ponantur.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. canones de personis, ubi de personis et non de normis generalibus sermo est, inserendos esse. Hoc in casu Liber II, replicat Rev.mus primus Consultor, de constitutione Ecclesiae latinae debet inscribi. Quaestionem ad alium Coetum pertinere dicit Rev.mus Secretarius Ad.

* * *

Ad can. 22: ex propositione Rev.mi quarti Consultoris citatio corrigitur: « firmo ... can. 6, n. 2 ».

Ad can. 80, § 1: ex difficultate proposita a Rev.mo quarto Consultore quaerente si in § 1 principium enuntiatur et in § 2 applicatur, ad textum magis clarificandum, dicatur « Nullum privilegium per renuntiationem cessat nisi haec a competenti auctoritate fuerit acceptata ».

Ad can. 87, § 2: disceptatum fuit utrum in § 2 melius esset post verba « Sanctam Sedem » adiungere « eiusve in regione Legatum », quia praecise difficilem quis potest habere recursum ad Sanctam Sedem sed non ad eius in regione Legatum. Sed tamen omnibus rite perpensis, omnes convenient ut textus remaneat uti iacet.

Ad can. 123, §§ 1-2: cum plus minusve eadem contineant, Exc.mus Secretarius proponit ut in unam paragraphum redigantur.

Propositioni Rev.mus primus Consultor adversatur quia distinguendum est inter liberam collationem — pro qua « magis idoneus » requiritur — et collationem necessariam, pro qua « idoneus » sufficit. Distinctio est quam maxime necessaria quia secus Superior confirmationem respuere potest, quia electus non est magis idoneus. Et in textu, potius quam de repetitione, de specificatione agitur.

Ad oppositas conciliandas sententias, Rev.mus Secretarius Ad. hunc textum proponit: « Ad officium ecclesiasticum, omni personarum acceptione seclusa, quis nominetur, praesentetur aut eligatur ille qui omnibus perpensis sit idoneus, scilicet qualitatibus praeditis quae iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur ».

Et in § 2 dicatur « aptus » loco « idoneus », « ad hoc determinatum officium implendum ».

Sub verbo « promoveatur » omnis provisionis forma comprehenditur.

Rev.mi secundus et quartus Consultores instant ut § 2 servetur, quia monitum continet et bonum est principium ethicum affirmari; e contra, alii tenent nihil in se paragraphum adiungere ideoque omitti posse.¹

Ad can. 124: ex propositione Rev.mi quarti Consultoris, loco « clericu... aucto » dicetur « ei qui ... auctus est ... ».

Ad can. 39: sermo instituendus est tantummodo de Constitutione Apostolica Pauli VI *Romano Pontifici eligendo*, diei 1 octobris 1975 (Secretarius Ad.).

Ad can. 162: Exc.mus Secretarius querit an casus ferat ut canon indicet quandam adesse obligationem ut quis adepta aetate illam ad Superiorum indicet.

Propositione disceptata, cum res potius ad primum pertineat, omnes concordant ut canon non modifetur.

* * *

Sic explicit labor quo huic Coetui in Litteris convocationis propositus erat.

Exc.mus Secretarius multas gratias omnibus rependit pro labore ab omnibus peracto et, precibus de more dictis, Sessioni finis imponitur.

Romae, 16 ianuarii 1976.

M. DE NICOLÒ

Adiutor a studiis

¹ Post disceptationem controversia per suffragationem dirimitur, cuius maioritas (Secretarius, Secretarius Ad., tertius, primus et quintus Consultores) est pro suppressione § 2 istius canonis. Remanent igitur §§ 1 et 3, quae fit § 2.

APPENDIX

CANONES PRAELIMINARES

in hac Sessione probati

Canon 1

Leges canonicae quae hoc Codice continentur unam Ecclesiam latinam obligant.

Canon 2

Codex plerumque non definit ritus et caeremonias quae in actionibus liturgicis peragendis sunt servandae; quare omnes normae liturgicae hucusque in Ecclesia latina vigentes vim suam servent, nisi quatenus earum aliqua Codicis canonibus sit contraria.

Canon 3

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus aliisve societatibus politicis conventiones non obrogant nec iis derogant; eaedem perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Canon 4

Iura quaesita, itemque privilegia quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa, in usu sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Canon 5

§ 1 Vigentes in praesens contra horum praescripta canonum consuetudines sive universales sive particulares, quae ipsis canonibus huius Codicis *reprobantur*, tanquam iuris corruptelae prorsus suppressae habeantur, nec in posterum reviviscere sinantur; ceterae quoque suppressae sunt, nisi expresse Codice aliud caveatur aut centenariae sint vel immemorabiles, quae quidem, si de iudicio Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis submoveri nequeunt, tolerari possunt.

§ 2. Consuetudines praeter ius hucusque vigentes, sive universales sive particulares, servantur.

Canon 6

§ 1. Salvis praescriptis canonum Legis Ecclesiae Fundamentalis, hoc Codice vim obtinente, abrogatae sunt:

- 1) omnes leges quae in Codice Iuris Canonici anno 1917 promulgato continentur;
- 2) aliae quoque normae, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis contrariae, nisi de particularibus aliud expresse caveatur;
- 3) leges poenales quaelibet, sive universales sive particulares a Sede Apostolica latae, nisi in ipso hoc Codice recipientur;
- 4) ceterae quoque normae disciplinares quae materias respiciunt quae hoc Codice ordinentur.

§ 2. Canones tamen huius Codicis, quatenus ius vetus referunt, aestimandi sunt ratione etiam canonicae traditionis habita.

